

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johannes Assuerus Ampzing

**Programma In Obitum Viri ... Victoris a Viereggen; Domini haereditarii in  
Kossevitz/ Zapkendorff/ & Finstorff**

Rostochii: Pedanus, 1615

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777175509>

Druck    Freier  Zugang



Assverus, J.,  
in

V. a. Viereggē

Rost. 1615.







Programma  
IN OBITUM  
*VIRI NOBILISSIMI, GENE-  
ROSI ET STRENUI;*

**VICTORIS**  
à VIEREGGEN;

Domini hæreditarij in


Nossevitz / Zapfendorff/  
& Finstorff.



*ROSTOCHII*  
Excudebat Ioachimus Pedanus,

ANNO M. DC. XV.

30



RECTOR  
Academiæ Rostochiensis  
**JOANNES**  
**ASSVERUS**  
Ampsingius Transisulanus.  
Med. Doct. & Profess.

**N**um Reipub. decus & orna-  
mentum est Nobilitas. Volunt au-  
tem nonnulli Nobile idem esse at-  
que Excellens & dignum notitiâ,  
seu Notum: à verbo Nosco, undè  
deductam arbitrantur vocula  
Nobilitatis. Græcis Nobilitas di-  
citur Ἀριστος, undè Nobilis ἀριστης  
& ἀριστος; qui certè harum sua-  
rum vocum rationem reddere possunt Latinis longè  
meliorem, qvòd apud illos vocula εν in compositione  
ferè optatum qvid significet, & qvandam rei dignita-  
tem seu bonitatem indiceat. Ad horum imitationem  
Germani nostri τες ἀριστες η ἀριστες, Wolgeborn ap-  
pellarunt, quasi dicas bene natos.

Difserit Nobilitas à Generositate. Nobile enim est id,  
qvod ex bono prodijt genere. Generosum verò, qvod à  
sui natura non declinavit, i.histor. animal. I. Undè rectè

A 2

dici-

dicitur, Omnis Generosus est Nobilis: sed non è converso, Omnis nobilis est generosus. Plurimi enim Nobiles sunt degeneres, qui Majorum suorum virtute relictâ, solâ imaginum à Majoribus acceptarum ostentatione superbiunt, & nobilitatem, ut antiquitatis dicebatur, solum in astragalis & talis habent.

E quibus equidem intelligimus, Nobilitatis Subiectum esse animum generosum, nec posse veram Nobilitatem habitare in animo degenere & virtutum vacuo. id quod verè confirmat Eurip. in Alexand. dicens: οὐκ εἴσιν ἐν νεαροῖς ἀγέραια, πατέρων αἰγαλοί δὲ ἀδηπάν. id est, Nulla Nobilitas inter malos est, sed inter bonos tantum viros. Et Chrysost. in Matth. Ille clarus, ille sublimis, ille nobilis, ille tunc integrum Nobilitatem suam putet; si dedignet servire virtüs. Et iterum. Quid prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio viles, quem mores adornant? Ipse enim se vacuum ab omnibus bonis ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham, quod fuerit Noë filius? &c. In quam sententiam & M. Tullius ad Marc. fratr. scribens, de petitione Consulatus, dicebat: Antonium & Catilinam non iam genere insignes esse; quam virtüs nobiles. Diogenes interrogatus, qui hominum nobilissimi essent? respondit: Contemptores opum, glorie, voluptatis & vite. Hos enim censuit paupertate, obscuritate, fame, labore, & ipsa denique morte superiores. Et Euripid. in Dicty.

Ο μέλι τὸν εὐλόγην εὐείρην αὐτή.

Οδός εἰς δικαιοδότην, καὶ τὸν αμείροντα μερόδες

Ζεῦς πατέρα, δυστύχης αὐτοῦ δοκεῖ. id est:

Bonus vir mihi nobilis videtur.

Qui verò non justus est, licet à patre meliore

Quam Jupiter sit, genus deducat: ignobilis mihi censetur.

Extant.

Extant consimilis sententiae versiculi cuiusdam A-  
stydam Tragici Atheniensis haud inconcinni:

Γένεσις δ' ἐπαυτός εἰσιν αὐτοφάλεστι,

Καθ' ἄνδρα ἴνογενεῖς ὅτις ἀν δίκαιος οὗτος,

Τέσπερ τοῦ ἀρχέτου, τέλος ἀνδρῶν νολέσιν.

Ἐπειδὴ τούτοις ἀργεῖν ἄνδρα ἔνα :

Καὶ τέλος εἰς ζητήσων, εἰσὶ μόνοι. id est:

Tutissima generis laus est,

Virum collaudare qui justus fuerit,

Et moribus optimis, ac eundem vocare nobilem.

Sed hujusmodi vel unum invenire difficile est;

Et inquirentes ipsum, infiniti sunt.

Causam si quæramus Nobilitatis: fatendum est verum esse, quod vulgari & trito fertur versiculo, Nobilis est verè quem nobilitat sua virtus. Nam si primam omnium hominum originem spectemus: omnibus competit quod Poëta dicit:

Luna generis eademque origo.

Nobiles ac ignobiles produxit. Cui succinit Thom.

Morus Anglus,

Factus es ex luto: quid suspicis alta? Et paulò post:

Quin si vera voles audire: libidine fædâ,

Natus es è coitu, guttuli & è miserâ. Unde ergo

Nobilitas? A virtute inquam: de qua Stroza pater,

Causam in se Virtus. Nobilitatis habet. Et luvensis Satyr. 8.

Nobilitas sola est atq[ue] unica virtus.

Virtus autem omnis est Habitus. Etsi vero constet Habitus non ingenerari, sed vel exercitatione acquiri vel divinitus infundi: diffitendum tamen non est ingenerari dispositiones qualdam ~~exiliu~~, ceu habitudines diccas, inclinationes & aptitudines, quæ, accedente studio & exercitatione, paulatim in habitus abeant, & à non-

nullis virtutum semina appellantur. Qva de re pulchrè  
Poëta Venusinus lib. 4. Ode. 4.

Fortes creantur fortibus & bonis.

Est in Juvencis, est in equis patrum Virtus. Et  
paulò pòst:

Doctrina sed vim promovet insitam,

Rectiç cultus pectora roborant. Idem significan-  
ter expressit Plutarchus, dicens: *Virtutis à justo animi ha-  
bitu profecta facultas suā veluti notā in prolem diffusa, eam in-  
signit.* Et hoc verissima Nobilitas est, similitudo secundum ju-  
stitiam. Suffragatur huic sententiæ communis expe-  
rientialia. Ut enim liberi plerumqve, externâ corporis ima-  
gine, aliqvid paternæ aut maternæ ideæ præ se ferunt;  
ita in moribus ferè parentum indolem referunt.

Ubi equidem etjam atq; etjam duo qvædā observan-  
da. 1. Ista virtutum semina adeò esse evanida, ut, nisi  
indefesso educationis studio indies confirmentur au-  
geanturq; dispereant: qvandoqve etiam in vitia abeant  
omnium pessima. Cùm enim singulare qvippiam obti-  
neant; necesse est ut evadant aut singulariter bona, aut  
singulariter mala. Neqve enim uspiam videoas perni-  
ciotiora neqvitiæ exempla, qvam in ijs, qui à laudatâ  
qvadam stirpe degenerant. Solent enim isti, qvod habe-  
bant bonæ indolis, in pessimum & nocentissimum virus  
convertere: sicut *Myrrha*, qvæ est suapte natura effi-  
cax remedium adversus venenum, si mutetur; mutatur  
in *Opacarpasum*, qvod est venenum longè perniciosissi-  
mum. Sic Cain, Cham, Esau, Absolon, &c. optimo-  
rum parentum, filij fuerunt pessimi & neqvissimi. 2. Illud  
etjam observemus, virtuosam (ut sic dicam) & generosam  
Indolem, nulli neq; genti, neq; stirpi, aut familiæ esse ad-  
strictam. Videmus enim alibi stirpes vetustas retorresce-  
re, & vicissim alibi terrarum novas subinde oriri & exur-  
gere

gere. *David opilio*, ob indolem generosam & virtutem, solium Regium concedit; nec desunt exempla alia complura. Orbi terrarum toti perspecta fuit insignis *Aureliani* virtus: & tamen ejus patria propter ignorabilitatem adhuc in occulto manet. *C. Aurelius Valerius Diocletianus* Imperator, patre Notario, vel (ut alij putant.) liberto ortus fuit. *Maximus Pupienus* Imperator, ferrarij fabri filius fuisse perhibetur. *M. Iulius Licinius* Imperator, in Dacia progenitus fuit, patre admodum inope agricolâ. *Przemyslaus* tertius Bohemorum rex, patre natus fuit rusticus: qvî cùm ipse araret, à Bohemis (ut Romæ Cincinato accidit) ad ducatum vocatus est. *Tamburlanus* Persarum rex longè potentissimus, Scythâ patre pastore genitus fuit. *Abdelmonius* Barbariae rex patrem habuit sanguinem. Idem perhibent de *Agathocle* rege Syracusarum, quem adeò sui ortus non puduit, ut in convivijs inter aurea vasa adhibuerit etiam fictilia; pristinæ fortunæ memor. *Franciscus Carmaniola*, Genuæ dux, porcos pavit. Pulchrum est imprimis qvod de *Hypbicrate*, qvi patrem habuit sutorum, commemorat Plutarchus. Huic, postquam ab Artaxerxe rege Persarum, Ægyptijs bellum illaturo, Dux electus esset: Harmodius priisci illius Harmodij abnepos, obscuritatem generis objecit. Cui ille facete respondens, *Meum*, inquit, *Genus habet à me originem*: *tuum verò in te desijt*. Idem de Cicerone scribit, hunc dicere solitum fuisse, *Satius esse*, se suis gestis florere, quam Majorum opinione niti. Et recte quidem. Quanto enim (dicente Pog. Flor.) majoris habetur, adficare domum, quam habitare aut ornare adficatam: tanto prestabilius est atq; excellentius, ab se partam Nobilitatem possidere, quam servare ab alijs acceptam: cùm alter suo ipse lumine resplendeat, alter verò præ se ferat alienum. Qvod ipsum & D. Chrysost. in Matth. confirmat; cùm inquit; *Stannum de argento egreditur*

ditur, sed non est argentum. Qui de claro genere clarus nascitur: gloria claritudinis, ejus non est solius. Qui autem de contemptibili genere clarus egreditur: gloria claritudinis, ejus est solius. Unde Plaut. in Mercat.

Pulchrius est Nobilem virtute fieri, quam nasci.

Exemplis paulò antè adductis juvat adhuc addere exemplum Ioannis Hunniadis Nitricensis, ab Ænea Sylvio commemoratum. Ille cùm mississet ad Huldricum Ciliæ Comitem, ut ad se veniret in castra: renuit Huldricus & ad se missis respondit: Ego Comes & Princeps, & tam nobili familiâ natus, ad te veniam, hominem novum, & nostrâ etate nobilitatum? Qyod cùm accepisset Ioannes: Non ego (respondit) tuis Majoribus, sed tibi me comparo: qvanquam neq; illis cedam, qui pugnando pro Christianâ religione nobilitatus, majus lumen posteritati meæ comparavi. Atq; ut in te Ciliensis Comitatus turpiter extinguitur, ita in me Domus Nitricensis exornatur. Sed neq; in hanc sententiam omittendus videtur famigeratus ille Aragonum rex Alphonsus, quem, ut est apud Panorm. lib. 2. de reb. gest. Alphonsi, cùm aliquis à nobilitate maximè laudaret, qvòd scilicet esset rex, regis filius, regis nepos, regis frater: Rex hominem interpellans, dixit, Nihil esse, qvod in vitâ minoris ipse duceret, quam qvod ille tanti facere videretur. Laudem enim illam, non suam, sed Morum suorum esse: quippe qui justitiâ, moderatione atq; cum excellentia, sibi regnum comparassent. Successoribus qvidem oneri regna cedere, & ita demum honori: si virtute potius quam testamento illa suscipiant. A se itaq; si qua modò extent, eliceret ornamenta, non à patribus jam mortuis extorqueret. Significare voluit rex prudentissimus, multò gloriosius esse, à se inclarescere, quam nisi avitis imaginibus: regnumq; propriâ virtute partum clarius habendum, quam qvod hæreditate obvenit.

Dixi

Dixi virtutem esse Nobilitatis causam. At verò cùm  
omnis virtus in actione consistat: oportet præclare ge-  
sta & nobilia facinora ad virtutem accedere, qvæ, ceu  
fructus, arboris bonitatem & generositatem faciant testa-  
ram. Hoc, hoc opus, hic labore est. Hoc civibus suis apud  
Plutarch. inculcabat magnus ille Legislator Lycurgus,  
qvando eos in hæc verba alloqvebatur. *Ne nobis, ô cives,*  
*nobilitas & ductum ab Hercule Genus prodirit: nisi omni stu-*  
*dio illa ipsa etiam opera gesserimus, per quæ ille mortalium omni-*  
*um clarissimus ac generosissimus extitit: ac per omnem vitam,*  
*que honesta sunt, & discamus & exerceamus.* Et Poëta lufe-  
nalis. *Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis Aeacidæ si-*  
*milis, Vulcaniaq; arma capessas: Quam te Thersite similem*  
*producat Achilles.*

Iam verò ne hic quidem in causarum ordine consi-  
stendum, sed colophonem constituendæ Nobilitati addi  
oportet authoritate Imperiali aut Regiâ. Non enim per  
vim summi honores sunt rapiendi, sed viâ ordinariâ &  
legitimâ, ad illos est condescendum. Sicut enim in  
scholis Regijs, qvæ Academiæ appellantur, summi stu-  
diorum honores, non rapiuntur, sed legitimè, viâ ordinariâ &  
authoritate publicâ, ijs, qvi eos promeriti sunt, con-  
feruntur: ita etiam dignitas Ordinis eqvestris, authorita-  
te Imperiali aut Regiâ, ijs demum decernitur, & solenni-  
ter confertur, qvi merito suo, & rebus præclare gestis,  
tanto se honore non indignos esse testatum fecerunt.  
Qyo eqvidem in Actu, solennitates & ceremoniæ adhi-  
bentur, danturq; Nobilitatis insignia. Apud Romanos  
*Annulus* signum fuit Nobilitatis, teste Livio lib. 3. de bell.  
Pan. secundo Arcades *Lune* gestamen pro signo Nobi-  
litas habebant: qvod & Romani postmodum fuerunt  
imitati, teste Plutarcho, qvi Lunulas gestaverunt in cal-  
ceis. Lindæ & lunata pellis Martiali. Et apud Satyricum

B

Poë-

Poëtam. Appositam nigre Lunam subtexit alute. Præterea varia apud Romanos fuerunt Conorarum genera, qvæ, in testimonium & signum rei benè gestæ, conferebantur strenuis militibus, tum ipsis etiam Imperatoribus. v. g. *Castrensem coronam*, ex auro fabrefactam, valliq; continentem insigne, donabat Imperator ei, qui primus hostium castra pugnans intrasset. *Civica corona* siebat è fronde ilinea aut quernea, & ei dabatur, qui civem è morte liberasset. Hac Cicero dignus est habitus, ob atrocissimam illam Catilinæ conjurationem deletam vindicatamq;. *Muralis Corona*, aurea, dabatur ab Imperatore ei, qui primus murum subiisset, & in oppidum hostium per vim ascendisset. *Navalem Coronam* & ipsam ex auro conflatam merebatur, qui in prælio navalí primus hostium navem armatus transliviisset. Erat autem insignita rostris navium; ad cuius imitationem nuper Dnn. Ordines Hollandiæ, coronam ex aureis rostris navium compositam, galeæ superimponi jusserunt, viri strenui Iacobij Heemskerckij, ob rem fortiter gestam, ad arcem Grybaltar, in freto Gadetano. *Obsidionalē Coronam* gramineam, quippe ex gramine contextam, dabant obsidione libera-  
ti, ei, qui liberaverat. Hanc S. P. Q. R. Fabio Maximo dedit secundo bello Punico, qvòd urbem Rōmam obtidione liberasset. *Ovalis Corona* erat myrtlea, qvā uteban-  
tū Imperatores, qui ovantes urbem introibant. Deniq;  
*Triumphalis Corona* ex auro siebat, & Imperatori mitte-  
batur ob honorem triumphi. Aureis Coronis postmo-  
dum successerunt *Laureæ*, erantq; ejusdem & virtutis &  
honoris præmia.

Ethæc qvidem hæc tenus de Subjecto & Efficiente Nobilitatis, qvæ est, *Claritas Generis; virtute & rebus præclarè gestis, benè & legitime tum acquisita, tum conservata.*  
*Cuius luculentum exemplum*, hodierno die, nobis ob oculos

culos ponitur, in funere viri nobilissimi, generosi & strenui, VICTORIS A VIERE G G E N, Domini hæreditarij in Rossev<sup>is</sup> / Zapfendorff & Finstorff.

Fuit ille in lucem editus Anno 1564. ipso die Antonij, in prædio Rossev<sup>is</sup>, Patre MATTHIA A VIEREGEN, Dno. hæreditario in Rossev<sup>is</sup>/ Zapfendorff & Finstorff/ qvi, in bellis Germaniæ durissimis, semper à latere adfuit illustrissimo ac bellicosissimo Principi ac Domino, Dn. Georgio Duci Megapolitano: qvem etiam comple-  
xu suo tenuit, cùm ille lethali saucius i<sup>c</sup>tu, animam ex-  
halaret. Qva ejus fidelitate perspecta, jamq; comproba-  
cā, in patriam, solutā militiā, reversus, in tantā apud Illu-  
striss. & Celsiss. Principem ac Dnm: Dn. Ioannem Alber-  
tum, Ducem Megapol. &c. gratiā fuit, ut is Cameræ  
cum suæ præfectum constituere, fuerit dignatus. Qvam e.  
qvidem Spartam administravit & ornavit fideliter.

Avus illi Paternus fuit VICTOR à VIEREGGEN, a qvo suum Defunctus noster nomen sortitus est. fuit vir ille plurimum commendatus, à singulari morum integritate, tum vel maximè à constantiâ fidei, prope mirandā; qvi non facile qvolibet doctrinæ vento huc illuc se rapi & impelli paſſus sit, nec primo statim momento, in religionis mutationem, qvæ tum nova & recens adhuc erat, consenserit. Neqve enim ullum dari potest argumentum evidenter hominis vani & levis, qvam, /hoc qvidem rerum statu/ præceps & subita de religione in religionem transitio. Uxor illi erat foemina nobilissima ANNA von Schwerin / à Spantkow.

Proavum paternum habuit, EWALDT VIEREG-  
GEN, Dn. hæreditarium in Rossev<sup>is</sup>/ virum gravissi-  
mum, & in militiâ tam togatâ qvam armatâ exercitatiſſi-  
mum. Qui illustrissimis Principibus ac Dominis, Dn.  
Magno & Dn. Balthasarō, Ducibus Megapol. &c. à

comitijs intimis fuit. Qvod eqvidem munus postqvam multos annos fideliter & gnaviter implevisset, tandem à prædicto Duce MAGNO ad comitia Imperij Ratisbonam ablegatus, ibidem pariter officio, pariterq; & vltâ defunctus, diem obijt & sepulturæ locum sortitus est. Habebat in Matrimonio, fœminam nobilissimam Idam Resstorff à Wolze.

Porrò Abavus paternus illi fuit nobilissimus, generosissimus, & fortissimus maximeq; strenuus, Dn. IOHANNES à VIEREGGEN in Rosseviß qui, ob res militare præclarè gestas, honores & insignia consecutus est Eqvitis aurati. Huic conjunx erat fœmina nobilissima Beata Moltzen à Stritfeldt.

Denique Aravum paternum habuit VICTOREM VIEREGGEN, virum bellicosum & potentissimi Alberti, Regis Sveciæ, Ducisq; Megapol. itemq; illustriss. Principis ac Dn. Dn. Iohannis Ducis Megapol. &c. Consiliarium fidelissimum. Qui uxorem habuit fœminam nobilissimam juxta & generosissimam Giesel Nordtmans/ de prosapiâ ortam Heroicâ, von Fregherrn Stammen geborn. Cum qva eqvidem uxore sua Victor iste acquisivit Feudum Rosseviß / & reliqvis Viereggiorum feudis adjunxit.

Et, ab his qvidem Majoribus paternis ~~uangelio~~ noster recto ordine genus deducit. Qyorum singulorum laudes cùm non capiat hæc pagella : illud generatim indicasse sat esto , prosapiam Viereggiorum per amiqvam esse & præstantissimam. Ubi neq; illud silentio prætereundum Marischallos territorij Butzoviensis esse de Vieregggen : qvæ eqvidem dignitas penes hanc familiam, jam inde à multis seculis in hodiernum usq; diem, longa nepotum serie continuatâ residet, & veluti sedem fixit. Administrat autem provinciam illam hoc qvidem tempore virno-

vir nobilissimus & generosus IOHAN VIEREGGEN:  
Dominus hæreditarius in Bižen/ amicus noster singula-  
ris, quem honoris gratiâ nominamus.

Ad Maternum Stemma qvod attinet: Matre natus  
est ~~uxor~~: noster ADELHEIDA LEVITZOWEN  
à Lunow, foemina nobilissimâ, omniq; genere virtutum,  
qvæ sexum condecorant foemineum, ornatisimâ, tum  
rei economicæ gerendæ peritissimâ.

Avus Maternus illi fuit Achim Levezow / Dominus  
hæreditarius in Lunow. Cujus uxor foemina nobilissi-  
ma, Anna Smekrs vom Wustenselde.

Proavus maternus, Heinrich Levezow, Domiuus hæ-  
reditarius à Lunow: qui conjugem habuit nobilissimam,  
Adelheit Hanen / von Basedow.

Abavus maternus Achim Levezow / Dominus hære-  
ditarius in Lunow / qui in matrimonio habuit eine von  
der Lühe.

Deniq; Atavus maternus quo nomine fuerit appella-  
tus; modò accuratiū indagare non licuit. Id in genere &  
summatis, qvod nuper de prosapiâ VIEREGGIORUM  
annotavimus, & de LEvetzoviorum familia tenendum;  
esse eam in Megapoli tum nobilissimam tum antiquissi-  
mam, & ejusdem Ducatus, qvondam longâ serie, Archi-  
marschallos fuisse de Levezowen.

Porrò, ut de Collateralibus aliquid enjam dicamus,  
fratres germanos numero quatuor habuit: quorum pri-  
mogenitus fuit SAMUEL VIEREGGEN: qui post-  
quam aliquandiu in Hungaria, contra immanem Chri-  
stiani nominis hostem, acriter depugnasset, tandem vesti-  
gia retrò in patriam legens, in ipso itinere, Viennæ Au-  
striæ, febri ardente extinctus fuit. Alterum proximè à  
se natum fratrem habuit DANIELEM VIEREGGEN.  
qui per aliquod tempus in aulis Principum Brunsvicen-

sum & Wimarensium vixit, & Principibus inserviendo,  
moribus & disciplinā aulicā egtegiē fuit imbutus. Tandem  
vitā hac functus, ad beatorum sedes emigravit. Ter-  
tium fratrem habuit IOACHIMUM, & Quartum IA-  
COBUM, ambos adhuc vivos, viros verè nobiles & ge-  
nerosos: qui Generis Viereggiorum dignitatem strenue  
tuentur & ornant.

Sorores germanæ illi fuerant quinque; qvarum pri-  
ma, ANNA, qvæ nupta est nobilissimo viro IOACHI-  
MO à Ziehevis/ Dno. hæreditario in Muttein. Secunda  
ILSEBE, qvæ in matrimonium data fuit viro nobilissi-  
mo Gunter Finek/ Dno. hæreditario in Karow. Tertia  
MARGARETA, matrimonio juncta viro nobilissimo,  
juxta & literatissimo ac verè strenuo, Nicolao Preen/  
Dno. hæreditario in Wolde / qui olim Illufriss. Principis.  
Iohannis Alberti, fidelissimus fuit consiliarius. Qvarta  
BARBARA, qvæ primū jugali födere devincta fuit  
viro nobilissimo Ulrich Manteußel / Dno: hæreditario  
in Dolgen: qyo demortuo, secundis votis in thalamum  
transivit viri nobilissimi, Bernhardi Jlenfeldt/ Dn. hæ-  
reditarij in Jlenfeldt. Quinta IDA, qvæ connubij födus  
inj̄t cum nobilissimo viro Georgio Krafow / Dno. hæ-  
reditario in Krafow. E qvibus qvidem quinque sorori-  
bus, sola ILSABE fatis concessit, reliquæ adhuc qva-  
tuor vitæ supersunt.

Iam ut ad Defunctum nostrum recurrat oratio; fuit  
ille inde usq; ab ipsis incunabulis Palladi & Themidi ipsi-  
qvæ adeò iustitiæ sacer. Primis pueritiae & Adolescen-  
tiæ annis, à parentibus, ad scholas particulares, qvas vo-  
cant, missus fuit, Brandenburgensem & Gustroviensem.  
Inde postmodum à parentibus domum revocatus, priva-  
to præceptore usus est: tantisper dum, primis studio-  
rum jaētis fundamentis, idoneus videretur, qui cum fru-  
ctu jam

Et a jam ad Academias, tanquam ad uberiorem literaturam  
& studiorum mercatum, posset amandari. Et primò quidem in vicinam Academiam sese contulit, hanc nostram  
Rostochiensem: ubi per quadriennium sedulò juris studio operam navavit. Deinde Wittebergam abiit, incipit  
studiorum continuaturus: in quo noctes & dies  
strenue desudando integrum quinqvennium Witteber-  
gæ fuit commoratus, tantumq; in eo studiorum genere  
profecit, ut non mediocrem inde sit consecutus nominis  
gloriam. Exacto quinqvennio spatio à parente domum  
fuit revocatus. Atq; ex eo quidem tempore, pater ita-  
tim ipsi causas suas judiciales gravissimas agendas &  
trastandas commisit: quarum ille patrocinium tantà animi  
alacritate, tantaq; pariter dexteritate subiit, ut ipsos et-  
jam judices in admirationem sui traxerit. In hoc vitæ  
genere ad extremum usq; vitæ spiritum perseveravit, &  
promovendis tam patriæ, quam suis & suorum causis &  
commodis, indefesso studio incubuit. O virum non cla-  
ritate generis solum, verum ipsâ etiam virtute nobilem!  
qui alijs inserviendo consumptus, Tullianum illud, non  
sibi solum nasci hominem, sed partem hujus patriam, & partem  
sibi amicos vendicare, suo exemplo dictum factum red-  
didit. In omni vita modestiam coluit, pari cum gravi-  
tate conjunctam, erga quosvis comis & affabilis, non a-  
nimo elatus, non fatus turgidus, liberalis erga eos quo-  
rum opera utebatur, tum vel maxime erga pauperes &  
genos largus & manu minime parcā. Exitum vitæ ha-  
buit placidum & Christiano homine dignum. Etenim  
morbo confectus, cùm præsenticeret horam adesse fatal-  
lem: imprimis domui suæ dispositus, deinde animam, ad  
iter cœleste, viatico instruxit sacrosancti corporis & san-  
gvinis dominici, atq; ita, in verâ & constanti fide Chri-  
stiana, placidè tandem obdormivit. Ob hujus tanq;  
viri

viri obitum, fratres, cognatos, affines & propinqvos in  
maximo luctu versari non est mirum. Ægra mater, cui  
hujus sui filij obitus nondum innotuit, ubi tali & tanto  
tamq; charo pignore se orbatam videbit; verendum uti-  
que est, ipsa ut, præ animi dolore, viræ amplius superesse  
possit. Sed Deus meliora. Qvin potius, tum ipsa tum reli-  
qui cognari & agnati, consolari ipsi sese debent, spe vitæ  
melioris, qvâ Defunctus noster, re & nomine VICTOR,  
hoc jām corporis ergastulo liberatus, & à sanctis Dei  
angelis, per media aërcorum spirituum agmina, ad supe-  
ras beatorum sedes devectus, perfruitur.

Cùm autem justis, huic viro (qui annos plurimos civis  
Academie nostræ fuit) persolvendis, dies dictus sit ho-  
diernus: non possum non ad hunc Actum funebrem in-  
vitare cives nostros Academicos tum universos tum sin-  
gulos, cujuscunq; demum sint ordinis: imprimis vero  
Dnn Professores, & reliquos qvarumcunq; facultatum  
Doctores, Ecclesiarum Ministros & Magistros; tum  
deinde nobiles & generosos Adolescentes, qui studio-  
rum gratia apud nos commorantur; deniq; studiosam lu-  
ventutem universam, & quoiquot Iurisdictionem no-  
stram & authoritatem reverenter habent. Qvos equi-  
dem omnes & singulos rogo & cohortor, ut, horâ post  
meridiem primâ, in æde Iacobæa, certatim conveniant,  
hanc funeris deductionem, frequenti suo comitatu, tum  
augustiorem, tum auctiorem reddituri. Qvitq; etiam, hu-  
manæ fragilitatis memor, suam ipse salutem, & utriusq; ve  
hujus Reipub. incolunitatem, Deo ter opt. max. ardenti-  
bus votis commendet. P. P. sub Sigillo Rectora-  
tus nostri, 27. Ianuarij Anno 1615.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777175509/phys\\_0021](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777175509/phys_0021)

DFG






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777175509/phys\\_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777175509/phys_0023)





Atq; jam ad Academias, sanq;am  
& studiorum mercatum, posset an-  
dem in vicinam Academiam se-  
sere Rostochensem: ubi per quadri-  
dio operam navavit. Deinde V-  
ptum juris studium continuaturus  
strenue desudando integrum qv-  
gæ fuit commoratus, tantumq; i-  
profecit, ut non mediocrem inde  
gloriæ. Exacto qvinquennij sp  
fuit revocatus. Atq; ex eo qvici-  
tim ipsi causas suas judiciales gra-  
ctandas commilit: qvarum ille pa-  
alacritate, tantaq; pariter dexterit-  
jam judices in admirationem sui  
genere ad extremum usq; vitæ sp  
promovendis tam patriæ, qvam  
commodis, indefesso studio incu-  
ritate generis solum, verum ipsa  
qui alijs inserviendo consumptus  
sibi solum nasci hominem, sed partem  
sibi amicos vendicare, suo exem-  
plidit. In omni vita modestiam  
conjunctionem, erga qvosvis co-  
nimo elatus, non fatus turgidus,  
rum operâ utebatur, tum vel max-  
genos largus & manu minimè p-  
buit placidum & Christiano ho-  
morbo confectus, cum præsentis-  
lem: imprimis domui suæ disposi-  
uer cœleste, viatico instruxit sacer-  
gvinis dominici, atq; ita, in vera  
Christiania, placide tandem obdormi-



n litterarum  
primò qvi-  
nec nostram  
aliò juris stu-  
dij abijt, incé-  
ctes & dics  
Witteber-  
rum genere  
tus nominis  
ate domum  
, pater ita-  
ndas & tra-  
tantà animi  
ut ipsos et-  
n hoc vitæ  
veravit, &  
in causis &  
im non cla-  
re nobilem!  
n illud, non  
, & partem  
factum red-  
cum gravi-  
llis, non a-  
a eos qvo-  
uperes & e-  
im vitæ ha-  
m. Etenim  
adesse fata-  
num, ad  
oris & san-  
fide Chri-  
hujus tantu-  
viri

0312

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No.

100

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

Patch Reference numbers on UTT